IOANNIS CAMILLI
ZACCAGNII ROMANI
ORATIO
DE LAVDIBVS B. THOMAE
DE VILLA NOVA
ARCHIEPISCOPI VALENTINI
COGNOMENTO ELEEMOSYNARII

Habita ab eodem in Templo B. Mariæ Virginis à Populo
Quartodecimo Kal. Octob. MDCXXII.

AD ILLVSTR.MVM ET EXCELLENT.MVM D.

FRANCISCVM COLVMNAM
PRÆNESTINORVM PRINCIPEM.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Ex Typographia Iacobi Maſcardi, MDCXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Vincentius Martinellus Reuerendiſs. P. Fr. Nicolai Rodulphi Sacri Apoſtolici Palatij Mag. Socius.

ILLVSTR.MO ET EXCELL.MO D.

FRANCISCO COLVMNAE

PRAENESTINORVM PRINCIPI.

Ioannes Camillus Zaccagnius Romanus Semp. Fel.

TIBI verò FRANCISCE PRINCEPS EXCELLENTISSIME *præſidium & dulce decus meum* nuperus ingenij mei fœtus hic debetur à me, qui multis tibi nominibus plurimùm debeo. Nam (ne ſingula nunc in medium proferre videar, è quibus ingens tuorum erga me, meamq́. familiam, quæcumque tandem illa ſit, magnitudo meritorum oritur) illud in primis animo ſemper hæret meo, hærebitq. perpetuò; quibus ſcilicet humanitatis officijs, quo clementiæ genere, multis antè annis Tarquinium parentem meum, virum (vt ingenuè fatear) doctum & eruditum, proſecutus ſis, cùm eum Roma iſthuc euocatum, Prænestinis tuis iuri dicundo præfeciſti. Multa iam tùm parens, mihi penè puero narrare ſolebat de incredibili virtute tua, de excelſa animi magnitudine, de ſingulari pietate, atque egregijs litterarum ornamentis, quibus inter Romanos Principes Italoſque, mirificè præfulgebas. Itaque adoleſcenti mihi, ac te Romanorum Procerum lumen potiſſimùm intuenti, laudum tuarum gloria quotidiè videbatur illuſtrior. Deſijt tandem eſſe parens meus inter mortales, nec maior tùm è præmaturo patris interitu mihiq. carior hæreditas obtigit, quàm ſumma illius erga te Princeps obſeruantia:

 cuius

exprimas optimi Principis ſimulacrum. Quem igitur tibi conferam, qui (cum eximijs non minus Naturæ, quàm fortunæ dotibus excellas) nulla tamen re magis quàm virtute gloriaris? Hæc ſcilicet tua eſt. Hanc, non à Maiorum claritate hæreditario quodam quaſi munere ſuſcepiſti, ſed ipſe tibi admirabiliter peperiſti. Quo fit vt tua ipſa nobilitas (qua nihil vnquàm poſt Cæſares ſuos Roma ſublimius vidit) maximam à virtute tua lucem mutuetur & gloriam. Nimirùm illud è Sapientiſſimorum hominum ſententià Maiorum claritati peculiare cenſetur, vt, quemadmodum non fugare nepotum (ſi mali ſint) ſed illuſtrare potius nequitiam ſolet, ſic ab ijs quorum animos virtutum ſplendor illuminat, eximium decus accipiat, & ornamentum. Lumen hoc ſempiternum, habebit potiſſimùm à virtute tua, nobiliſſima COLVMNENSIVM familia, quam ingentibus honorum ornamentis cumulatiſſimè ſuperioribus annis auxiſti, cùm videlicet apparatu ſanè magnificentiſſimo Belgium petijſti; quó te è Romano hoc cœlo, non minus bellicarum clangor tubarum, quàm propria virtus euocauerat. Quod ibi, Princeps fortiſſime, ſpectaculum reuiuiſcentis in te glorioſius Romanæ virtutis præbuiſti? Quæ ibi maximarum rerum exempla reliquiſti? Quæ denique documenta dediſti magnificentiæ tuæ, cum te Natio illa bellicoſiſſima, admirata eſt pro Rege Maximo, honoris nomine militantem? Tunc enimuero, vel ipſa rerum humanarum falsò credita moderatrix fortuna, quæ Præneſtinis olim in iugis, hoc eſt tuo in ſolo regnauerat, virtuti tuæ famulari coacta eſt. Quod, eo iniquius (ſi diuinari mihi ſic libeat) illam tuliſſe crediderim, quo facilius fortè recordabatur, quàm ſuppliciter ab ea Ve-

nuſinus Pindarus aliquandò poſtulaſſet, vt Auguſtum cum Britannis pugnaturum, Romam (poſt exantlatos labores) victorem ſoſpitemq́. reduceret, cum eandem ſic allocutus eſt

Iniurioſo ne pede proruas
Stantem Columnam.

Hoc, inquam, vt ageres, non aliundè tibi, Princeps, exempla ſumenda fuere, cum eadem Maiorum tuorum, domi, clariſſima prorſus inueniſſes. STEPHANI videlicet Aui maximi præ cæteris veſtigia ſecutus es, qui bellica virtute præſtantiſſimus, Romanum nomen auxit, & COLVMNENSIS familiæ gloriam illuſtrauit. Sed non híc ego tàm eximij viri, cæterorumq. COLVMNENSIVM Principum decora, mea (quæ ſuapte natura ieiuna atque arida eſt) oratione perſequar; cum certius mihi certo ſit, nullius vnquam quantumuis diſerti laudatione, ſatis illa pro dignitate ornari, vel augeri poſſe. Quis enim ſit adeò rerum ignarus, qui penitus id ignoret, quod vniuerſo terrarum orbi notiſſimum eſt? Tot videlicet tantòsq. viros familiam tuam ampliſſimam protuliſſe, vt plures nulla vnquàm alia nec tulerit, nec concupiuerit. Igitur quas in ornatiſſimo Romanorum Præſulum conuentu, atque eruditorum hominum frequentia, præclaras Thomæ beatiſſimi virtutes leuiter adumbraui, ipſo (qui eius memoriæ ſacer in hac Vrbe gentium Domina religioſè colitur) die, tibi potiſſimùm dedicare modò viſum eſt, vtpote Principi chriſtiana pietate ſingulari, & iure cum optimis quibusq́. religionis amore conferendo. Nouimus enimuerò quicumque te nouimus omnes, quàm penè incredibili cupiditate ſanctornm hominum facta percurrendi tuus ille animus ardeat,

Cui

Cui pud'r, & Iuſtitiæ ſoror
Incorrupta fides, nudaq. veritas

perpetuò comites extitere. Et quidem tanti Præſulis facinora, digna proculdubiò ſunt (cum omnes omninò virtutum numeros habeant) vt à te, hoc eſt à Principe ſpectatiſſimæ pietatis, raræque virtutis, æquo animo perlegantur. Hic videlicet Thomas ille beatiſſimus eſt, qui inter clariſſima Hiſpaniæ ſidera (quæ mirifica ſanctitatis luce Orthodoxam Eccleſiam illuſtrant) lumen ſine controuerſia ſplendidiſſimum fuit. Extulit illa quidem ſumma ſui nominis gloria ſuperioribus ſæculis, innumerabiles penè viros omni virtutum genere maximos, tantaq. ſanctitatis gloria conſpicuos, vt in eos meritò conuenire videantur aurea Poetæ præſtantiſſimi carmina.

Quos prior eſt mirata, ſequens mirabitur ætas
In quorum plauſus tota theatra ſonant.

Sed nihilo tamen minus, vno excepto DOMINICO (quem turbulentiſſimis Eccleſiæ temporibus excitauit Deus, vt eandem labantem confirmaret) non ab re faceret opinor, quiſquis illum Raymundis, Didacis, ac recentioribus quibusq. omnium ordinum ſanctiſſimis viris exæquaret. Has inquàm Thomæ ſanctiſſimi laudes, vt à me libenti animo accipias, te etiam atque etiam obteſtor, mearum Princeps optime

Grande decus, columenq. rerum.

Ea videlicet humanitate, qua menſuram imples nobilitatis tuæ, & qua me ſemper excipere conſueuiſti. Nam ſi (vt ſapienter olìm Romanæ Princeps hiſtoriæ pronunciauit) *ingenij egregia facinora, ſicuti anima immortalia ſunt* in hoc ingenij mei fœtu, immortale ſaltèm erit erga Principem optimè de me meritum, præſens hoc meum

Saluſt. in bello Iug.

FRANCISCI GAGLIARDI ROM. I. V. D. EPIGRAMMA.

Ad Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D.

FRANCISCVM COLVMNAM

PRAENESTINORVM PRINCIPEM.

De Ioanne Camillo Zaccagnio Romano.

QVAM benè Romulei, PRINCEPS, lux aurea cæli,
Auſpice te, famæ templa CAMILLVS init.
Scilicet aſſuetum Marti, Pacique patronum
Eloquium eloquio qui tueatur habet:
Nec timet Inuidiæ, rapidi nec temporis iram,
Namque COLVMNA tua vicit vtramque manu.
Adde, quod ex adytis fugiens Præneſtis, in Vrbem,
Mobilis ingreſſa eſt ſub tua tecta Dea.
Hìc famulata tibi, Thracique, Getæque minatur,
Et docet indomitos, te Duce, fræna pati.

Eiuſdem Epigramma.

Ad Ioannem Camillum Zaccagnium Romanum de Beato Thoma de Villa Noua orationem habentem.

INſignem pietate virum ſi tollit ad aſtra
Aurea facundo copia fonte fluens;
Sique pium cecinit vates Heroa Latinus,
Eſtis in ingenij nobilitate pares.
Vtque illum è Phrygijs humero traxiſſe fauillis
Fama refert pauidum nocte fauente ſenem;
Pauperiem hic etiam fouit, fouitq. parentes
Diues inops magnas non minus inter opes.

ANTONII ARTVSINI FOROLIVIENSIS I. V. D.

De Ioanne Camillo Zaccagnio Romano Romæ Proſopopœia.

VIdi olim inuectos iuga per Tarpeia Camillos
Cum domuere feros marte fauente Duces.
Hi fuerint olim, nouus en mihi germinat Heros
Per quem viua meis naſcor ab exequijs.
Cedant priſca nouis, peperi & quos Roma Camilli:
Bello illi grandes, grandis hic eloquio.

OCTAVII TRONSARELLI ROMANI.

Ad Illuſtriſſimum, & Excellentiſſimum D.

FRANCISCVM COLVMNAM

PRAENESTINORVM PRINCIPEM EPIGRAMMA.

De Ioanne Camillo Zaccagnio Romano.

PAr Græco Iſocrati Latio tonat ore CAMILLVS
Heſperij THOMAE dum ſacra geſta refert.
Hæc cape magne HEROS, qui dum PRAENESTE gubernas,
FORTVNAE frænas ſubdita regna tibi.
Heſperio Regi tu fœdere iunctus amico,
Heſperij noſcas hic monumenta viri.
Accipe, virtutis columen ſublime COLVMNA,
Eloquij columen hoc tibi ſacrat opus.
Innitique tuæ PRINCEPS generoſe COLVMNAE
Solùm optat, felix ambitione ſua.
Si Græcum Iſocratem dorſo tulit alta columna
Nunc Latium Iſocratem celſa COLVMNA regat.

MICHAELIS MARTINI ROMANI.

Ad Ioannem Camillum Zaccagnium Romanum Epigramma.

NObilis eloquij quid non opulentia felix
Audeat, exundans ore, CAMILLE, tuo?
Quæ meritis NOVA VILLA ſuis conſcenderat olim,
Illa tuis iterùm laudibus aſtra tenet.
Si potis eſt alijs decus immortale referre;
Non timet ingenij gloria tanta mori.

BARTHOLOMAEI STEPHANONII ROMANI EPIGRAMMA.

Ad Ioannem Camillum Zaccagnium Romanum.

AVrifer exundat diti ceu murmure Ganges,
Sic pretioſa tibi vena CAMILLE ſonat.
An THOMAS inopi qui prodigus erogat aurum,
Auratum iuſſit currere ab ore melos?
Debuit Herois geſtis, par plaudere ſermo:
Ille fuit dextrâ, hic aureus ore fuit.

IACOBI BESSII ROMANI.

Ad Ioannem Camillum Zaccagnium Romanum Epigramma.

DIuite fama canit manantem flumine Gangem,
Te lingua lepidum diuite fama canet.
Dignior & fama es, quando tibi gratia fandi eſt,
Quæ potis eſt ipſas ſiſtere Gangis aquas.

IOAN-

IOANNIS CAMILLI ZACCAGNII ROMANI

ORATIO

DE LAVDIBVS B. THOMAE DE VILLA NOVA ARCHIEPISCOPI VALENTINI COGNOMENTO ELEEMOSYNARII.

PRAECLARE à maioribus inſtitutum eſt (Præſules Illuſtriſſimi cæteriq. Audd. ornatiſſimi) cùm, viris illis qui vel rectè factorum gloria cæteris præſtitiſſent, vel reipublicæ libertatem proprio ſanguine propagaſſent, vel eandem conſilio atque exemplo iuuiſſent, Oratores decreuere, qui quotannis eorundem virtutes in frequentiſſima populorum panegyri, quæſitiſſimo laudum genere celebrarent. Mos hic laudabilis, apud Nationes propemodùm vniuerſas, quantumuis morum immanitate barbaras, (vt mortuorum gloriæ famæq. conſulerent) receptiſſimus fuit. Atque vt interim omittam quos recenſere poſſem innumerabiles, hoc potiſſimùm egiſſe non ignorant qui monumenta vetuſtatis euoluunt, præferoces Lybiæ gentes, Perſas, Aegyptios, Galatas, Indos. Idem quoque virtutis præmium, quàm honeſtum, quàm glorioſum eſſet, vidit ille qui cuncta vidit Philoſophorum oculatiſſimus ac planè Lynceus Plato; cui, quemadmodùm diuinum Natura dedit ingenium, ſic ingenij monumenta nominis immortalitatem pepererunt. Is enim, cum de Iuſtitiæ generibus doctiſſimè diſputaret, quod faceret ad illorum gloriam qui iàm vita functi eſſent, minimè prætermiſit. Quin immò in ijs quos de rep. dialogis inſtituit, eorum qui virtute præſtantes & æqui cultores habiti fuiſſent, & honorificè cadauera condi, & memoriam coli ſapientiſſimè ſanxit Platoni præceptori ſummo, ea in re ſubſcripſit, vel æquandus, vel præferendus ingenioſiſſimus Ariſt. qui iuſtitiam ipſam quadrifariàm diuidens, poſtremam eiuſdem ſpeciem, illam eſſe pronunciauit, qua, vita iàm glorioſè functis, debitam laudis mercedem exoluimus. Sapientiſſimorum hæc Philoſophorum placita Romanæ parens eloquentiæ Cicero ad extremùm confirmauit, cum (quaſi terminos æquitati circum-

Ex Hieronymi Magij Miſcellan. lib. 2. c.15.

ſcriberet, & coronidem quandam imponeret) tripartitam illam fecit; vnam ſcilicet ad ſuperos, ad manes alteram (in quibus defunctorum memoriam intelligit) poſtremam ad homines pertinentem. Et ſanè Audd. ſi altius aliquantò laudandorum quotannis hominum clariſſimorum memoriam replicare velimus, celebris huiuſmodi principem inſtituti, Cecropem Athenienſium Regem fuiſſe reperiemus, qui conſanguineos ſuos anniuerſaria laudatione celebrandi Græcis author fuit. Hi verò deìn ad alios quoque de Republica optimè meritos, eiuſmodi præconia tranſtulerunt. Ac Periclem Oratorem diſertiſſimum id in primis præſtitiſſe ſcimus, cùm bellatores illos longè fortiſſimos, qui Duce Miltiade ſpectatiſſimo Athenienſium Imperatore apud Marathonem innumerabiles Perſarum copias ad internecionem deleuere, poſtquam fortiter in medijs Perſarum cadaueribus occubuiſſent, eloquentiſſimè laudauit. A Græcis mos hic fluxit ad Romanos, qui, vt illos imperij magnitudine ſuperarunt, ſic in imitandis eorundem optimis inſtitutis, vel æquarunt, vel feliciter æmulati ſunt. Hinc primò inter Romanos à Valerio Publicola Iunium Brutum Romanæ libertatis authorem celebratum in funere non ignoramus: Hinc ab ipſo Tullio, ſeu ab ipſa verius eloquentia, militibus qui contra Antonium, extremum in victoria ſpiritum fuderunt, debitam gloriæ mercedem laudatione luculentiſſima redditam ſcimus. Quod etiam ante actis ſæculis (ſi diuino Poëtæ credimus) egiſſe perhibetur Aeneas ille Romani nominis conditor, cum non ſolùm Anchiſæ parenti anniuerſaria iuſta perſoluit, ſed cæſos etiam in acie atque inhumatos milites ſuos eiuſmodi elogio proſecutus eſt.

Ex Thomę Porcachij Aretini dialogis eruditiſſimis, Italicè ſcriptis de funeribus antiquorum.

Alexander Sardus Ferrarieſis lib.3.de ritibus gentium c.10.

Ite, ait, egregias animas, quæ ſanguine nobis
Hanc patriam peperere ſuo, decorate ſupremis
Muneribus, mœſtamq. Euandri primus ad Vrbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.

Virg. Aeneid. lib.11.

Hæc à me Audd. ea gratia commemorata ſunt, vt apertius intelligatis, quam prouinciam hodierna luce ſuſceperim, quam in lubrico verſetur (ſi qua tamen eſt) eloquentia mea, dum (veterem morem ſeruaturus) locum hunc ampliſſimum conſcendi, vt coram vobis (hoc eſt coram ipſa ſapientia) Thomam de Villanoua Præſulem ſinè controuerſia præſtantiſſimum celebrarem. Virum ſanè, quemadmodùm nunquam ſatis laudatum, ſic nunquam pro dignitate laudandum; in cuius eximijs virtutibus tùm ornandis tùm recenſendis, vel ipſi Græcæ Latinæq. principes eloquentiæ deſudarent: cum videlicet ſciant omnes, quicumque ſanctitatem venerantur & colunt, omnibus eum ætatis ſuę viris optimis fuiſſe longè meliorem. Nec immeritò illud ego de Præſule beatiſſimo nunc profiteri poſſem, quod olim Cicero de clariſſimo Romanorum ciuium Pompeio, ac de Traiano iuſtiſſimo Romanorum Imperatore Plinius gloriabundi protulere. Etenim ille ad Senatum de Pompeio verba factu-

Cic. orat. pro lege Manil.

facturus, liberè pronunciat, in Pompeio, perfecti Ducis eſſe partes omnes abſolutiſſimas; hic verò nihil de Traiano ſe dicturum pollicetur, *quod de alio dici potuiſſe videatur*. Idem, inquam, de te verius Thoma profiteri poſſem, quandoquidem tanta cum gloria partes omnes optimi Præſulis expreſſiſti, vt iure mihi libeat exclamare. Plin. in Paneg. ad Traianum.

Sparguntur in omnes
In te mixta fluunt, & quæ diuiſa beatos
Efficiunt, collecta tenes. Claud. in Laud. Stilic. paneg. 1.

Igitur de viri ſanctiſſimi virtutibus, non optimas, ſed nonnullas, quàm breuiſſimè potero, delibabo. Nam quemadmodùm infinitæ propè numero, ſic inter ſe dignitate pares extitere.

Hiſpaniam Audd. hiſtorias qui ſcripſerunt antiquitùs meritò ſummoperè laudarunt. Eius namq; claritatem & gloriam, ex eo potiſſimùm poſſe colligi nemo non videt, quod omnibus ſæculis maximorum hominum fuerit fœcundiſſima; quos vel bellandi peritia, vel doctrinæ præſtantia, vel vitæ ſanctitas apud omnem poſteritatem nobiles reddidit. Quo fit, vt quidquid Hiſpania gignit, *ſiue ſoli, ſiue hominum ingenio, proxima ſint his quæ optima iudicantur*. Hoc nemo vnquàm (opinor) inficiabitur, qui ſcriptorum monumenta percurrat; quique præ cæteris non ignoret, eandem quæ tot olim præclariſſimos viros ediderit, Thomam quoque virtutum præſtantiſſimarum lumen extuliſſe. Iulius Solinus in Polihyſtore c. 19.

Oppidum in ea citerioris Hiſpaniæ parte, quæ imperio Toletanæ ſubiacet Eccleſiæ, nobile ac peruetuſtum eſt Villa Noua. Ibi flos hic virtutum Thomas, parentibus non minus nobilitate, quàm vitæ ſanctimonia præclaris natus eſt. Et verò par erat Audd. vt mater illa Monicam alteram vitæ moribus exprimeret; quæ filium non minus vitæ inſtituto, quàm doctrina, pietate, atque innocentia, Auguſtino ſimillimum peperiſſet. Fabuloſè ne an verè ſcripſerint aliqui, illud tamen admiratione dignum prodidere, regionem ad orientem ſolem reperiri homines procreantem, qui vel in pueritia caneſcant. Sed vt vt ſit, admirandum hoc naturæ prodigium, apertè renouatum vidit terrarum orbis vniuerſus ad Occidentem, cum Thomam ætate quidem puerum, ſed virtutibus & prudentia ſeneſcentem admiratus eſt. An non in illa annorum Aurora, ſplendidiſſimus virtutum pulcherrimarum illuxit dies? Quæ in puero præſtantiſſimo futuræ præſagia ſanctitatis, quæ pietatis argumenta, quæ pignora pudicitiæ, quæ præmaturæ documenta prudentiæ mirificè non effulsère? Etenim in ea ætatula qua vix à brutis animantibus diſtinguimur, ludicra Thomam puerorum oblectamenta ſpreuiſſe, pietatis amore ſupramodum flagraſſe, debitum parentibus cultum exhibuiſſe, obuijs quibuſque miſeris atque egenis, obſonia, pueris prima litterarum elementa diſcentibus tradi ſolita, liberaliter impertiuiſſe, denique natu grandiorem aliquantò, poſt obitum patris, propriam domum, ad excipiendos ægrotos aduenas Xenodochium effeciſſe; hæc omnia, cedo, ſeneſcentis ne, an adoleſcentis ætatis indicia fuerunt Audd? Quo fit, vt Gaudentius Merula Nouarienſis memorab. lib. 1. c. 2.

præcoces iſtos ac planè intempeſtiuos virtutum fructus, quos edidit infans penè Thomas, intuenti mihi, minus videatur audiendus Homerus ille maximus Poëtarum, qui raró è bonis parentibus filios optimos naſci pronunciauit cum cecinit

Homer. Odyſſ. II.

Aequat rara patrem ſoboles, ſed plurimi ab illo
Degenerant, pauci ſuperant probitate parentem:

Quandoquidem è bonis parentibus Thomas optimus ortus eſt, qui illos in omni virtutum genere ſuperauit. Sed prima hæc virtutum ornamenta, quæ cum Thoma feliciter adoleſcebant, vberiores iuuentutis progreſſus facilè prænunciarunt. Iuuenis namque, cum ſecundum ſupra decimum annum attingeret, Complutenſem Academiam viris eruditione præſtantibus florentiſſimam petijt, vt in ea humanioribus diſciplinis operam daret. Quo ſanè loco ſic vixit, ſic profecit iuuenis admirabilis, vt (cum ſemper miram cum litteris pietatem ac religionem coniungeret) facilè in ſpem venerint vniuerſi, illum olim non minus doctrina, quam ſanctitate virum maximum euaſurum. Infinita propemodùm hic ego conſultò prætereo, quæ de Thomæ laudibus prædicare poſſem, quæque vberrimum requirerent dicendi genus, ne tantarum virtutum copiam, breui huiuſce orationis compendio concludere videar. Hoc vnum non ſilebo, eandem, quæ Thomam ingenioſè diſcentem vidit, Thomam etiam doctiſſimè poſtmodùm alios docentem aſpexiſſe. Iám verò nonum ſuprà vigeſimum annum agebat, cum è Complutenſi ad Salmanticenſem Academiam Hiſpaniæ totius ſinè controuerſia celeberrimum Gymnaſium, ſe contulit. Eò namque à Salmanticenſibus accerſitus vt Ariſt. Philoſophiam (qua præditus erat ingenij ſubtilitate) publicè interpretaretur, oblatum ſibi honorem non ſolùm recuſauit, verùm (quod vel ab ipſo vitæ principio ardentiſſimè concupiuerat) auguſtiſſimum Diui Auguſtini ordinem ingreſſus eſt. Enimvero animus ille Thomæ ſanctiſſimus (cui præ diuinarum contemplationum delicijs, omnia ſordeſcerent) pabulum quærebat quo aleretur vberrimè, & vitæ fontem ſalutaris, quo ſitim expleret amoris ſui. Vtrumque tandèm inuenit, cum ſuauiſſimum animæ ocium, tranquillitatis portum, ſecuritatis aſylum, diuinæ voluptatis paradiſum, religioſam videlicet Auguſtini familiam (cui tantoperè inhiauerat) amplexus eſt. O quàm numero varia, dignitate præclara, nouitate prorſus inaudita poſſem hic ego recenſère de Thoma, ni me (quem veſtra PP. humanitas ad dicendum inuitat) tantarum amplitudo virtutum à dicendo deterreret. Ergo diuini amoris incendio, quo beatus ille animus conflagrabat, velut Phœnix tunc renouari viſus eſt, cùm, reiectis veteribus indumentis (vt cum Apoſtolo loquar) induit nouum hominem Audd. Et quidem prima religionis rudimenta, & quaſi tyrocinia tot virtutum ſplendoribus illuſtrauit, vt non minus innocens illud viuendi genus, ſuis exemplo ſodalibus fuerit, quàm vniuerſis ciuibus ornamento. Sed mihi ad maiora properanti, ſingulis quæ primo probationis (vt dicitur) anno Thomas egit, immorari

rari non licet. Quis enim pro dignitate cuncta commemorare poſſit Audd. Singula namque me recenſentem deficeret dies, atque ea ſingillatim perſequi, nimis longum ac propè infinitum eſſet. Nemo certè conſtantius vnquàm atque hilarius, religionis illius iugum tulit: nemo acrius carnis ſtimulos retudit, maioriq. virtute inimicas animi appetitiones compulit intra vallum rationis: nemo ſe ieiunijs, vigilijsq. fortius macerauit, cum videlicet (vt ingenitos impetus reprimeret) aſſiduo lachrymarum imbre ex oculis emanante, adeò rigida caſtigatione corporis vteretur, vt à capite ad talos vſque ſe flagellis ſeueriſſimè laceraret. Ex antiquis Eccleſiæ Patribus extitere non pauci, qui in authoribus perlegendis, vnum ſibi præ cæteris eligerent, cuius vel potiſſimùm elegantia, vel doctrina delectarentur. Hoc Auguſtinum Eccleſiæ lumen egiſſe non ignoramus, qui (quod ipſe de ſe teſtatur) ſummoperè Poëtarum culmen Virgilium coluit, tantoq. animi ſenſu diuina propemodùm Poëtæ maximi carmina perlegit, vt ſæpiſſimè lachrymantem Didonem ſuis ipſe lachrymis proſequeretur. Idem Hieronymi viri doctiſſimi pariter & ſanctiſſimi ſtudium fuit, qui Ciceronis eloquentiam ſuprà modum ſecutus eſt: quod ei vel ab Angelo probro datum ſcimus, adiecto inſuper colapho in pœnam nimij erga Ciceronem amoris. Sed Thomæ ſtudium in authoribus eligendis omninò diuerſum fuit, quippe qui, (reiectis Ethnicorum oblectamentis) diuina Bernardi monumenta in delicijs habuit; cui quemadmodùm ſtylo dein, ſic in omni vitæ decurſu ſanctitate proximus fuit. Cum igitur elapſo probationis anno, tantum in eius actionibus eluxiſſe virtutum conſenſum omnes animaduertiſſent, ne ſolitaria viuendi ratione (quam vnam vt Deo liberius frueretur, exoptabat) quaſi tenebris, eius ingenij claritas obſcuraretur, Theologiam ibi publicè profiteri iuſſus eſt. Hanc itaque tanta ingenij ſubtilitate tanta verborum claritate atque eruditione interpretatus eſt, vt (qui nomine ac ſanctitate Aquinatem Thomam referebat) eundem exprimere doctrinæ ingenijq. magnitudine videretur. Et quidem eo tempore quamplurima extiterunt Hiſpanorum ingenia, quæ è Thomæ diſciplina clariſſima prorſus euasère; vt ſolidæ tandèm ſummi præceptoris gloriæ cumulus accederet, nobilis inſignium diſcipulorum numerus. Inter quos (vt omittam interim alios) duo præcipuè floruere, Ferdinandus Enzinas philoſophus acutiſſimus, & Dominicus ille Sotus, qui non minus deindè præclariſſimum Dominicanorum ordinem, quàm Salmanticenſe gymnaſium illuſtrauit. Demùm à diſciplinis, quas vulgò Scholaſticas dicimus, Thomas ad conciones habendas ad populum gradum fecit. Quo ſanè dicendi genere tantùm valuit, vt nemo eum audiret, qui non ad virtutem erudiretur. Quoties ille ſceleratos ac perditos homines, ad verum ſalutis tramitem (ea qua pollebat dicendi vi) reuocauit? quoties infixas humanis animis lethalium vitiorum radices extirpauit? quoties Salmanticenſem ciuitatem luxu delicijsq. diffluentem, ab impuris voluptatum illecebris, ad meliorem frugem reduxit Audd. Nàm quod olim di-

uino

Ex Petro Crinito Florentino de honeſta diſcipl. li. 7. c. 11.

uino Poetæ contigiſſe memoratur, vt, auditis eius carminibus, continere ſe Cicero non potuerit, quin illum ſpem Latinæ doctrinæ Romanæq. ciuitatis appellaret, idem penè Thomæ ſcimus eueniſſe, quem aliquando Ioannes Hurtadus, vir è Dominicana familia clariſſimus (vbi concionantem audiuiſſet) immodicè laudauit, Deoq; gratias reddidit immortales, quod eiuſmodi hominem iis temporibus naſci contigiſſet. Iamuero tantarum fama virtutum quibus mirificè Thomas elucebat, diutius latere non potuit Audd. Nam quemadmodum exigui cuiuſque ſeminis ingenium eſſe videmus, vt, receptum primò inter terræ viſcera, obrutum penè videatur, mox radices paulatim explicans, occulto æuo in immenſæ magnitudinis arborem creſcat, ſic Thomæ prorſus accidit Audd. cuius ſanctitas etſi per anguſtis Salmanticæ finibus circumſcripta primò videbatur, limites denuum illos prætervecta, vniuerſam non ſolum Hiſpaniam compleuit, ſed ipſum Caroli Quinti, maximi quondam Imperatoris, atque Iſabellæ præclariſſimæ coniugis animum excitauit adeò, vt videndi audiendique Thomæ incredibili planè cupiditate tenerentur. Quem tandem accitum in ampliſſimam Valliſoletanam Ciuitatem, in qua tunc Cæſar cum coniuge morabatur, tanta cum animi delectatione concionantem audiuere, vt Cæſarei concionatoris titulo Thomam illico decorauerint. Hinc factum eſt vt (cum plurimi Thomæ ſanctitatem faceret Imperator) nihil vnquam illius precibus denegaret. Teſtes Audd. nobiles quidam iuuenes ex antiqua Laſſiorum familia, quos cum, indignatus ſupra modum Cæſar ob aliqua eorundem crimina, capite plecti iuſſiſſet, (quod ab eo magnates Hiſpaniæ propemodum vniuerſi non potuerant) ab humaniſſimo tandem Imperatore Thomæ ſanctitas impetrauit. Etenim, vt iratum Cæſaris animum deliniret, iuuenumq. vitam ſupplex ab eo peteret, cum in genua procubuiſſet, detecto Cæſar protinus capite (quod maximi honoris indicium fuit) vt coram ſe ſtaret Thomæ perhumaniter indicauit: ac vix Cæſarem vir ſanctiſſimus orare incœpit, cum exorauit. O magnum maximi principis erga Thomam obſeruantiæ documentum. Quo fit vt mirari minimè debeamus Audd. conſecutis deinde temporibus Carolum ipſum Imp. Thomæ meritis impellentibus, Granatenſem Eccleſiam ſuo tunc orbatam præſule, eidem obtuliſſe, quam tamen vir ſanctiſſimus illicò recuſauit. Sed inuictiſſimi Cæſaris humanitas quæ primò à Thomæ ſingulari modeſtia victa eſt, tandem de viro beatiſſimo triumphauit. Huc igitur oro vos Audd. mentes animoſq. conuertite: facinus namq; commemoraturus modò ſum veſtra dignum admiratione ac omnium memoria poſterorum, quodque nulla vnquam obſcurare poſſit obliuio, anceps certè magis ne in eo Cæſaris prudentiam, an Thomæ demiſſionem admiraturi ſitis. Aberat ab Hiſpania Cæſar apud Belgas, periculoſis bellorum difficultatibus ſupramodum occupatus, cum, Dei numine factum eſt, vt Georgius Auſtriacus Caroli Quinti patruus, Valentina (quam tum egregiè moderabatur) ſponte ſe abdicans Eccleſia ad Leodienſem,

Pauli

Pauli Tertij Pont. authoritate ſe conferret. Hoc vbi primùm cognouit Imperator, ſummoperè gauiſus eſt, eam ſibi occaſionem offerri, qua præclaras Thomæ virtutes, poſſet iterùm honore debito decorare. Cæſar itaque nihil immorandum ſibi ratus, tabellarium, datis illicò litteris, miſit ad Philippum filium (quē Hiſpaniæ gubernaculis iàm admouerat) quibus Thomam Eccleſiæ Valentinæ præficiebat. Forte Valliſoletana Ciuitas tunc Philippum habebat, vbi per id tempus Thomas quoque morabatur. Acceptis perlectisq. litteris Philippus, ex ijs maximi parentis voluntatem percepit: quam (vt protinus exequeretur) ad ſe, nulla mora temporis interpoſita, virum ſanctiſſimum Thomam accerſiri iuſſit. Thomas ergo (cui Cæſaris voluntas ignota penitus eſſet) celeriter Philippum principem adiuit, à quo perhumàniter exceptus, quid tandem Cæſar de eo decreuiſſet, ex ipſius litteris dIſertè cognouit. Sed quid putatis Audd. Thomam tunc egiſſe? quid Philippo potiſſimùm reſpondiſſe? libeat hoc loco mihi cum ſacris litteris exclamare. *Audite gentes, obſtupeſcite cœli.* Thomas oblatam ſibi vltrò à Cæſare Valentinam Eccleſiam ditiſſimam atque ampliſſimam recuſauit: & qui Philippi precibus, maximorumq. Principum Hiſpanorum flecti non poterat, honorem illum dubio procul à ſe reieciſſet, ni ad eum recipiendum (quod Philippus enixè curauerat) arctiſſimo obedientiæ vinculo fuiſſet obſtrictus. O rariſſimæ demiſſionis admirabile documentum. O ſingularem ac penè diuinam animi virtùtem Audd. Agamemnon ille Græcorum Dux, ad expugnanda Troianorum mœnia, decem ſibi tantùm Neſtores exoptabat: & Darius Perſarum regnator, cum quidam ſibi malum punicum obtuliſſet, quot illic eſſent grana, tot Zopiros expetebat. Vtinam etiam quot habet Eccleſia Dei præſules ac moderatores animarum, tot numero Thomæ ſimiles cernerentur: Vtinam qui huiuſmodi ſtudijs ducuntur, Thoma, te vnum intuerentur: reflореſcerènt enimuero priſca illa morum ſanctitas, veræq. religionis exempla, quæ mirificè in antiquis Eccleſiæ patribus eluxere. Nec aliam ob cauſam Archiepiſcopatus ampliſſimi dignitatem vehementer adeò Thomas recuſabat, niſi vt leni contemplationum ocio (quibus ſuauiſſimè ferebatur in Deum) aſſiduè frueretur; cum magis probaret *ſecuritate ridens tugurium, quam triſtem curis & ſollicitudinibus Aulam.* Sciebat etenim Audd. quàm graue, quàm laborioſum onus eſſet, animarum curam diligenter exercere. Sciebat ex antiquis tùm Ethnicis, tùm Chriſtianis, non paucos extitiſſe, qui ſpontè ſe imperijs abdicaſſent; nec ignorabat hanc alijs imperandi difficultatem, è Romanis quidem, omnium primum indicaſſe. Meſſalam illum Coruinum, virum ſine controuerſia ſummum, qui Romanæ Vrbis præfecturam neglexit ac recuſauit: Diocletianum deindè, qui cum à Romano (quo quid vnquam ſublimius?) imperio, ad priuatam viuendi rationem ſe conuertiſſet, aiebat nihil in rebus humanis difficilius eſſe, quàm benè imperare: Saturninum denique, ex Ethnicis, Imperatorem, qui ſic ad amicos aliquandò ſcripſiſſe fertur. *Nam quod Im-*

Valer. Maxim. lib. 8. c. 1.

Ex Petro Crinit. de honeſta diſcip. lib. 1. c. 12.

Ex eodē Crinito lib. 10.c.9. *peratorem me cupitis, in mortis neceſſitatem me trahitis*. E Chriſtianis verò recordabatur quoque, inter cæteros, Raymundum, Ioannem Germanum, Vmbertum Viennenſem, ac Magnum Albertum vltrò à ſuis Eccleſijs receſſiſſe: Antoniumq. Anachoretam (ne Epiſcopus crearetur) læuam ſibi auriculam ferro præſecuiſſe: denique Reges multos atque Imperatores fuiſſe, qui (vt Dei cultui melius ac liberius vacarent) imperia magno prorsùs animo contempſiſſent. Sed qua tandem ratione putatis Audd. Thomam, Archiepiſcopum iàm, Valentinam Eccleſiam adiuiſſe? Splendido forſitan apparatu pretioſam ſecum ſupellectilem aduexiſſe? Auri argentique, facti pariter & infecti, ſummaq. artificum induſtria elaborati magnam vim aſportaſſe? Numeroſo Aulicorum comitatu iter illud ingreſſum eſſe? Præeuntibus vſquequaque famulis, vias omnes & compita equorum fremitu, ac flagrorum diſploſionibus compleuiſſe? Fallitur Audd. qui eiuſmodi ratione Valentinam Eccleſiam petijſſe Thomam opinatur. Comitem eo in itinere religioſum quendam, quem ſummoperè ob eius ſanctitatem adamabat, ſibi tantùm aſſumpſit, addito vnico inſuper famulo itineris duce. O nobile religioſæ paupertatis exemplum. O prædicandum humilitatis argumentum. Atque ad Vrbem vix appulit Audd. cum Deus ille (qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis) Valentinum agrum, qui ſummoperè etiam tùm aquarum pluuiarum penuria laborauerat, imbribus è cœlo perennibus fœcundum reddidit. Vt nimirùm eiuſmodi prodigio ſignificaret, quam in poſterùm cœleſtium beneficiorum copiam, Thomæ ſanctimonia, Valentinæ Ciuitati eſſet elargiturus. Admirabundi prorſus ſubeuntem præſulem ſuum excepere Valentini proceres Audd. atque, vt tantam viri ſanctiſſimi paupertatem ſubleuarent, Thomæ quatuor aureorum millia protinus donauere, quibus potiſſimùm Aulam inſtrueret atque exornaret: quæ quidem optimus Præſul, habitis gratijs, cum accepiſſet, illicò Valentinæ Ciuitatis hoſpitio (quod paulò antè incendio penè conſumptum fuerat) inſigni pietatis exemplo, ac Valentinis omnibus admirantibus dono dedit. Iam vero, me, ſi quidquid in ea dignitate Thomas præclarè geſſit, in præſentia commemorare velim Audd. (vt cum Poëta loquar)

Deſeret antè dies, & in alto Phœbus anhelos
Aequore tinget equos, quam conſequar omnia dictis.

O quàm anxius & ſollicitus cernebatur, quàm graues animo curas euoluebat, quàm in ea cogitatione defixus erat, qua ſcilicet ratione ſubiectas ſibi animas benè ac ſapienter adminiſtraret. Et primo quidem, ſummoperè curandum ſibi eſſe animaduertebat, vt virtutum omnium exemplar ſe præberet ijs, quos ad ſalutem ſuſceperat erudiendos: atque

Plato de legib. lib. 4. illud identidem ſecum reputabat *nulla ratione citius aut facilius ciuitatem leges moresq. immutare, quàm principum exemplo præeunte*, quos ſi vitioſos eſſe contingeret, nouerat vir ſanctiſſimus, tunc illos *eo pernicioſius de rep. mereri, quod non ſolum vitia conciperent ipſi, ſed*

ea in-

ea infunderent in ciuitatem , ac plus exemplo quam peccato nocerent . Optimè namque Poëtam olim ceciniſſe cognoſcebat, Cic. de legibus tertio.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur. Iuuen. ſat. 8.

Ea igitur Audd. Eccleſiam ſuam adminiſtrandi ratione Thomas vſus eſt, quæ Præſulem præſtantiſſimum præcipuè deceret : nam qui (ſupra quàm dici poſſit) ſeuerus in ſe, erga alios humaniſſimus fuit: quippe qui illud decreuiſſet (quod optimi principis indicium eſt) malle ſe à ſuis diligi, quam timeri . Quo factum eſt vt *neque liberalitatis, neque clementiæ , nec comitatis quidem erga omnes exhibendæ , vllam vnquàm occaſionem amiſerit.* Suet. in Nerone c. 10. Sed inter tot egregia virtutum ornamenta, quibus mirificè Thomas enituit, vna potiſſimum illi in amore atque in delicijs fuit , pietas erga egenos : qua tantam ſibi apud omnes gloriam comparauit, vt (veluti Ioannes alter) Eleemoſynarius meritò diceretur . Non ne pauperi malè induto ac penè nudo (Martini pietatem imitatus) pallium aliquando proprium dedit! Non ne ſæpiſſimè petentibus egenis, linea tribuit indumenta! Quoties Audd. obæratos homines , quique nulla ratione ſoluendo eſſent, ſuo ære liberaliter iuuit ? Quoties Virgines nubiles ac dote caſſas in matrimonium collocauit ? Quoties viduarum pupillorumq. curam paterna charitate ſuſcepit ? Quoties verecundos homines, & honeſto loco natos, ſecreta pietate ſubleuauit ? Quoties infantes (quos proiectos dicimus) incredibili miſericordiæ genere enutriendos, educandosq. curauit ? Quoties lachrymantes coram ſe calamitoſos homines, ſuis & ipſe lachrymis & munificentia conſolatus eſt ? Quoties laceras ac detritas veſtes ipſe ſibi reſarciuit, vt quantum ſibi demeret , alterum tantum ærario pauperum adderet ? Quoties denique inſignia pietatis opera beatiſſimus Præſul exercuit ? Illud verò qua ratione prætermittetur à me , quod cum conſanguineis ſuis vir ſanctiſſimus agebat? qui ne nimium ijs videretur addictus, ac ea quæ pauperum eſſent (vt aiebat) conſanguineis erogaret, ſuæ ipſius parenti ſenio confectæ, quam vnicè diligebat, Eleemoſynæ nomine, centenos tantum aureos in ſingulos annos attribuit, totidem vni ex duobus fratribus, alteri vero , quod oneroſo filiorum numero premeretur , ducentos , patruo cuidam quadraginta, licet Valentinæ cenſus Eccleſiæ, ſæpiſſimè triginta aureorum millia Thomæ redderet Audd. O cœleſtis animi diuina prorſus indicia, ò virum nuſquàm interiturum . Sed quid hìc ego referam Audd. qua morum modeſtia fuerit Thomas , quam enixè antiquam ordinis ſui paupertatem adamauerit, quam in cibo parcus, quàm in meditationibus frequens, quam in lachrymis aſſiduus extiterit. Nullum eius Aula præſeferebat ſuperuacaneum apparatum: nulla parietes veſtiebantur periſtromatum pompa : non ibi lacunaria egregio perfecta opere , cum pauimentis de dignitate certabant: nullæ ibi picturarum deliciæ : nulla exquiſita ſupellex: quinimmò cuncta Præſulis ſui modeſtiam, munditiem, ac pauperiem exprimebant. Quæ nam (Deus immortalis) in

eius cubiculo tenuitas cernebatur? Non aulæis auro purpuraq. contextis enitebat: non lectus ibi conopeo tectus diuite paratus erat: non illi tenuiſſima ſuper inducta linteamina: non plumeis culcitris ac puluinis delicatè inſtructus: non aureo ſtragulo coopertus: non roſa atque odoribus perfuſus: ſed ibi ſtratum humile atque aſperum, ſtoreacea parietum indumenta, & lecto impoſita ſeruatoris imago cruci ſuffixa, quam vnam dies noctesque, poſitis genibus, incredibili amoris æſtu correptus, perenni lachrymarum imbre madidus, ac totus extra ſe poſitus venerabatur. O Thoma beatiſſime, tuus, tuus ille animus, qui à Deo (cui ſemper adhæſit) deuelli nunquàm poterat, dum voluntaria ciborum inopia corpus eſuriret, ſuauiſſimo lachrymarum nectare paſcebatur; & inter alta noctium ſilentia, quibus abditiſſima diuinæ charitatis myſteria ſcrutabare, ò quam inexhauſtos veræ ſapientiæ riuos eliciebas è fontibus Saluatoris? quibus deinceps areſcentem animarum infoecunditatem (quas vitiorum contagia miſerabiliter deformauerant) ſic irrigabas, vt fructus ederent virtutum vberrimos, ac dulces gutturi eius qui paſcitur inter Lilia. Nullum prorſus dicendi finem facerem Audd. ſi cuncta quæ Thomas vſque ad extremum vitæ diem geſſit, oratione complecti vellem. Tanta etenim ſunt ac tam ſingularia, vt hiſtoriam potius luculentiſſimam, quam breuia Oratorum præconia poſtulent Audd. Conſultò igitur præteribo quàm acer atque imperterritus fuerit (licet alioqui morum humilitate benigniſſimus eſſet) libertatis Eccleſiaſticæ propugnator, aduerſus potentiſſimos quoſque Valentinæ proceres ciuitatis: quam frequentibus crebroque repetitis itineribus ſubiectam ſibi Eccleſiam perluſtrauerit: quam ſalutaribus loca omnia quæ peragraret, monitis atque inſtitutis inſtructa reliquerit: quàm copioſè in eiuſmodi perluſtrationibus redditus ſuos egenis diſtribuerit: quàm admirabilia denique vbique locorum ſuæ pietatis documenta dederit: Id vnum prætérire nullo modò poſſum Audd. quàm ardenter ſcilicet expeteret animarum ſalutem, quæ illi ſic potiſſimùm curæ fuit, vt non minus cæteris, quàm ſibi natus videretur. Vir certè ſanctiſſimus, & citrà controuerſiam optimorum Præſulum præſtantiſſimus; qui (vt periclitantibus opem ferret) ſe in apertum vitæ diſcrimen conijciebat; & cum nullius vnquàm culpæ particeps extitiſſet, vnus ipſe pro ſubditorum ſceleribus pœnas immeritas dabat, quorum piacula ſuo ſæpiſſimè ſanguine liberaliter eluebat. Nemini prorſus ignotum eſt Audd. donum illud lachrymarum quo, præ cæteris, Thomæ pietas, dum vixit, enituit. Quibus certè tantùm apud Deum valuit, vt lachrymoſis illius precibus diuina iuſtitia (licet malorum ſceleribus irritata) obniti non poſſet. Hinc factum eſt, vt quamplurimos Eccleſiaſticos viros, quos vitæ luxu ac morum licentia à recto virtutum tramite, ad vitiorum turpitudinem declinaſſe compererat, & paternis monitis, & vberrimis lachrymis pro illorum ſalute noctibus integris ad Deum effuſis, ad veram benè viuendi rationem reuocaret. Quis enim illud æquis animis non accipiat, quod

plané

planè ſempiterna memoria digniſſimum eſt? Nam cum ſæpiſſimè Eccleſiaſticum quendam perperàm viuentem paterna charitate monuiſſet, defineret ſuis flagitijs Dei patientiam ad vindictam prouocare, ac mutatis in melius moribus, tandem aliquando reſipiſceret; vbi ſe parùm profeciſſe animaduertit (vt animam fratris ſui lucraretur) eundem acciri iuſſit. Paruit ille ſanctiſſimi Præſulis imperio, ac protinus ad eum ſe contulit. Incredibili cupiditate præſtolàbatur hominem Thomas: itaque non prius ad fores appulit, quàm manu prehenſum, in cubiculum ſuum perduxit. Ibi verò obortis lachrymis (ò pietatem tuam Thoma: neque enim cum de tuis lachrymis loquor, ſinè lachrymis loqui poſſum) querebatur ſupramodum nihil ſe apud eum proficere potuiſſe. Velle ſe iàm vulneri remedium adhiberè, quod ſua incuria ouiculæ ſibi commiſſæ Dæmon inflixiſſet. Quid plura? Coràm eo illicò ſe denudauit, atq; in genua procumbens, ſe flagellis ſeueriſſimè cruentauit. Qui tandem pudore, & diuinæ vltionis timore perterritus, ſanctiſſimum vitæ genus ſecutus eſt. O vim admirabilem tuarum Thoma lachrymarum. Lachryma (vt aiebat ille) nil facilius exprimitur, nihil citius areſcit. Tuæ, Thoma ſanctiſſime, lachrymæ, facillimè quidem è tuis oculorum fontibus erumpebant (eas namque vis amoris, quæ tuo æſtuabat in pectore, iugiter exprimebat) nunquàm tamen areſcebant. Ridentem te, vel nullus, vel certè pauci admodùm aſpexere; flentem verò quamplurimi, ac horis omnibus aſpexere. O quoties inſomnes noctes Thoma traduxiſti cum fletibus, pro ea quam tantoperè deperibas animarum ſalute? Nullum vnquàm Deo pretioſius; nullum carius, aut dulcius amoris poculum præbere potuiſſes. Nam qui, vel ipſo mortis tempore, ſitire ſe dixit, tunc verè ſitim explet ſuam, cum ſibi lachrymas (quas vel dolor vel amor eliciat) propinandas quis præbet. Hoc ſanè verum nectar illud eſt, quo (reiectis interim fabuloſis Poëtarum commentis) amantiſſimus vitæ noſtræ parens Deus alitur, quo diuinæ vltionis reſtinguuntur incendia, quo immenſa erga humanum genus Dei pietas, quàm ſæpè ſcelerum noſtrorum pondere conculcamus (ſi loqui ſic libeat) reuiuiſcit ac viget. Quàm ergo cunctis Paſtor populorum ſanctiſſime, ſalutaris erat fletus ille, quo vultus tuus aſſiduè rigabatur? Quam Deo carus tuarum imber lachrymarum è quibus animarum ſalus feliciter emergebat? Ex ijs, opinor, gemmea ſibi monilia confecit Deus, quibus te poſtmodum inter conferta beatarum agmina mentium, glorioſè atque inſigniter exornauit? Denique, vt poſtremum vitæ actum, exitu concluderet honeſtiſſimo, non ſolùm admirabili charitatis exemplo, ſuo aere ingentem hominum multitudinem, quam Dracutes ille barbarus prædo (cum oppidum quoddam maritimum Valentinæ ditionis depopulatus eſſet) captiuam fecerat, ab immani proditoris illius ſeruitute redemit; ſedetiam, cum ad vltimum vitæ diem perueniſſet, antequàm proficiſceretur è vita, iuſſit quinque aureorum millia, quæ in Sacrario maioris Eccleſiæ ſeruanda curauerat, poſtremo liberalitatis exemplo, ſuis, quos tantoperè

ſemper

ſemper adamauerat, egenis erogari; nec prius ſanctiſſimam animam Deo reddidit, quàm quidquid ipſe diuitiarum haberet, Dei filijs, hoc eſt pauperibus reddidiſſet. Sic Thomas quod tàm ardenter exoptauit, tandem conſecutus eſt. Nam cum ſpiritu pauper ſemper extitiſſet, in interitu quoque pauper fuit, cum videlicet oblatum ſibi à Clero ſepulchrum perhonorificum, in quo poſt obitum conderetur, ſingulari animi demiſſione recuſauit, illud fortaſſe Chriſoſtomi ſecum reputans *ceſſandum* nimirùm *ab inſana funeris impenſa, cum ſciamus nudum Dominum reſurrexiſſe*. Sed quæ nam, Deus immortalis, benigniſſimi ſanctiſſimiq. Præſulis obitum egenorum lachrymæ, quæ viduarum querimoniæ, qui flebiles orphanorum eiulatus, quæ Virginum Lamenta, qui nàm omnium ordinum dolor, qui Valentinæ Ciuitatis mœror, quæ denique Hiſpanorum principum comploratìones ſubſecutæ ſunt? Querebantur pauperes ereptum ſibi præmaturo mortis vulnere miſeriarum ſuarum leuamentum: flebant amiſſum præſidium ſuum orbatæ viris matres: lamentabantur extinctum ſibi nimìs intempeſtiuè parentem amātiſſimum pueri: lugebant innuptæ Virgines ſublatum ſibi præſidium pudicitiæ ſuæ: ſuſpirabant religioſorum hominum cœtus, perijſſe veræ ſanctitatis florem ſpecimen Chriſtianæ pietatis, virtutum præclariſſimarum Ideam, optimi Præſulis ſimulachrum, atque hominem qui mores Angelorum in terris expreſſiſſet, tàm citò ad cœlum euolaſſe: Valentina Ciuitas, quæ tàm præclara ſui Præſulis documenta, tàm inſignia religionis argumenta, tàm admirabilia, ac prorſus diuina charitatis exempla ſuſpexiſſet, tantam iacturæ acerbitatem æquo animo ferre non poterat: Hiſpani denique Proceres vniuerſi ſupra fidem affligebantur, quod ſplendidiori ſuo lumine orbatam, in tenebris, & ſquallore miſerabiliter eiulantem Hiſpaniam reliquiſſet. O beatum igitur interitum tuum Thoma, quem non lamentabiles Præficarum cantus (quod ab antiquis factum legimus) non ficta miſerorum eiulatio, ſed verus populorum dolor in communi calamitate deplorauit. Et quidem, Thoma, iure tibi eorum lachrymæ debebantur in funere, pro quibus toties magnæ prodigus animæ ac ſanguinis anteà fuiſſes. Nobiliores tibi ſcilicet nemo vnquàm exequias agere potuiſſet ijs ipſis, quibus tibi iàm è viuis ſublato, populorum tuorum incredibilis dolor parentauit. *Iure tecum ab infantia miſeratio creuit, & de vtero matris tuæ tecum egreſſa eſt*, quandoquidem *refugium pauperi, mœrenti ſolatium, & orphano tu eras adiutor*. Et mirabimur Audd. Deum ipſum, Thomam ingentibus adeò miraculorum prodigijs illuſtraſſe? Mirabimur eius meritis extinctos ad vitam fuiſſe toties reuocatos? Toties ſolo ſuarum contactu reliquiarum ægrotos conualuiſſe? Toties inſanabiles morbos ab humanis fuiſſe corporibus expulſos? Toties cœcis fuiſſe viſum reſtitutum? Toties Thomam ſola oris ſui ſaliua, ac ſacroſanctæ Crucis ſigno lethalia vulnera curauiſſe? Toties triticum auxiſſe? Claudis veſtigia firmaſſe? Dœmones è corporibus eieciſſe? Fœminas partus difficultate morti proximas, ab immi-

nenti vitæ periculo ſubtraxiſſe ? Horribili membrorum tremore correptos homines ad priſtinam ſalutem reuocaſſe ? Solo eius ſepulchri puluere , diuerſas & periculoſas corporum ægrotationes extirpaſſe , atque alia prorſus innumerabilia miraculorum portenta poſt obitum admirabiliter egiſſe ? Hæc ſcilicet Audd. ſanctorum hominum virtuti debita merces eſt ; hoc præmium ſanctitatis , hoc Dei erga viros optimos hoſtimentum . O Thoma Chriſtianorum Præſulum præſtantiſſime , exemplar morum , vitæ prorſus innocentiſſimæ ſpecimen ſingulare : O non Hiſpaniæ ſolum quam parentem agnoſcis , ſed vniuerſæ prorſus Chriſtianæ reipub. lumen immortale . O decus æternum Auguſtiſſimæ ſodalitatis tuæ,quam tua olim in coelum migratione, quemadmodum luctu confeciſti , & miſerabiliter orbaſti , ita nunc mirificè ſplendidiſſima tuarum gloria virtutum illuſtras .

Quando vllum inuenies parem ?

Quando vnquàm Orthodoxa Chriſti ſeruatoris Eccleſia tui ſimilem conſequetur ? Quando, Patres religioſiſſimi (vos quidem nunc appello, qui tam eximij parentis veſtri veſtigijs ampliſſimis feliciter inſiſtitis) quando, inquam, Thomam alterum habebitis ? Meritò, vir ſanctiſſime, cunctis qui virtutes tuas admirabiles dum viueres venerati ſunt , moriens acerbiſſimum reliquiſti deſiderium tui . Meritò celebris illa tui nominis fama, quàm tibi rectè factorum gloria comparaſti, (libeat mihi cum Poëta loqui .)

Troica vincet
Sæcula,& Euboici tranſcendet pulueris annos : quinimmò labantibus ſæculis , ab ipſa temporum diuturnitate ſuſcipiet incrementum . Meritò denique quicunque ſubindè naſcentur , & præclara tuæ vitæ facinora perlegent , ſummis te laudibus proſequentur , cum potiſſimùm animaduertent, nihil vnquam fuiſſe tua fide firmius, nihil tua demiſſione ſublimius, nihil tua ſanctitate glorioſius , nihil tua morum humanitate dulcius nihil tua erga egenos pietate præclarius , nihil tuis virtutibus illuſtrius , nihil demùm te Deo carius , qui animum illum tuum nulla vitiorum labe contaminatum , domicilium fecit diuinitatis ſuæ . Et ſanè merito qui temporibus illis te Valentinam Eccleſiam tam egregia virtute moderantem,infinita propemodùm Chriſtianæ pietatis opera inſigniter exercentem, egenis prouentus ac redditus tuos liberaliter erogantem,Eccleſiaſticæ libertatis iura fortiter tuentem,ac viuendi rationem illam vndecumque ſanctiſſimam , & numeris omnibus abſolutam aſpexere , meritò inquam Chriſoſtomos , Nazianzenos , Baſilios , Athanaſios, Ambroſios, Gregorios, Bonauenturas, Hieronymos,Auguſtinos, quibus vitæ ſanctitate proximus extitiſti,videre ſe iterùm arbitrati ſunt . Nos verò qui te viuentem non vidimus , ſed virtutum tuarum præconia celebramus,te quoque inter Diuos relatum (quod ſperamus , & expetimus omnes) tandem aliquando venerabimur , ſi GREGORII QVINTI DECIMI Pont. noſtri non minus optimi quàm ſa-

pien-

pientiſſimi, idem qui ſuæ illum Eccleſiæ præfecit Deus, annos fecerit (quod boni optant omnes) longæuos ac diuturnos. Tunc enimverò Thoma beatiſſime, glorioſa noui nominis appellatione, ſanctiſſimis viris ac ciuibus tuis Iſidoro, Ignatio, Xauerio, Tereſiæ, & Philippo Nerio è noſtratibus æquabere, quos in omni virtutum genere æmulari feliciter potuiſti. Atque, vt modum aliquem in præſentia ſtatuam orationi meæ, illud ad extremum pronunciabo, me, ſi veſtram in audiendo patientiam ſpectem, multum quidem, ſi Thomæ ſanctiſſimi viri merita, parùm admodùm & ieiunè dixiſſe.

Laus Deo Sanctiſſimæq. Matri, ac B. Thomæ de Villa Noua.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE